



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Theologi, Tractatus
Tres spirituales**

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

18. De mortificando sensu auditus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48767](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48767)

CAPVT XVIII.

De mortificando sensu Auditus.

Sensus Auditus amore proprio nixus, multas secum trahit inordinationes, ac vt omittamus eas, quæ graua & manifesta crimina adiuncta habent, vt cum audire volumus occultos & infames proximorum lapsus, & sponte aures præbemus cantibus lasciuuis, & sœdis, scurrilibusque colloquijs: nam hæ pœnitentiæ & cōfessionis cultello rescindendæ sunt; veniamus ad illas, quæ vt graues non sunt, ita paruifunt, ac mortificatione opus habent, ne progressum in virtute impediant. Cuius generis sunt libenter audire, dicta factaque sua ab alijs prædicari, gaudere item, si aliorum defectus propalantur, idque non alia de causa, quam quia inde aliquam percipimus voluptatem. Quid verò noxæ & damni in ea re sit, alibi diximus, cum ageremus de humilitate.

Inordinatio auditus est recreari narratione rerum vanarum, & curiosarum, quæ nullum afferunt fructum; deinde ridicularum & superuacanearum, idque non alio fine, quam quia aures oblectant. Inordinatio quoque est colloquijs

Serm. de ab-
dicat. rerum. quijs aliorum clanculum nulla ex cau-
sa se ingerere. Vnde Basilus. Noli au-
res, inquit, porrigere quorumlibet ho-
minum colloquijs, & nugis secularib.
sed fuge, quoad potes, ne animam tuam
contamines. Sed nec arcanis aliorum
sermonibus te temerè ingeras, audias
autem libenter vtilia, quæ te ad diuino-
rum mandatorum obseruationem pro-
mouere queant. Et quanquam seruo
Dei rerum diuinarum studio addito,
facile sit ecclestibus his parere docu-
mentis, tamen alijs non ita prouectis
perdifficile est. Nam præterquam quod
naturæ corruptæ vitio in malum pro-
cliues sumus, aduersarius noster Sata-
nas non ignorans rerum bonarum au-
ditionem esse laudabilem, & multorum
bonorū fontem, omnem lapidem mo-
uet, vt colloquia pia & sancta fastidiū,
vana verò, & futilia voluptatem con-
ciliant.

Lib. 5. c. 31.

Hanc hominis miseriam magno
sensu confessus est sanctus quidam Ab-
bas apud Cassianum, dicens: *Otiolarum
fabularum diabolus esse fautorem, ac spiri-
tualium collationū impugnatores.* Idq; con-
firmat exemplo, quod sibi acciderat. Nā
quando cū fratrib. quibusdam de rebus ne-
cessarijs, ac spiritualibus disputaret, eosq; vi-
deret

leter lethæo quodâ sopore demergi, nec posse
 ab oculis suis pondus somni depellere, otio-
 sam repente fabulam introduxit. Ad cuius
 oblectationem cum eos euigilasse confestim,
 atque erectas suas aures habere vidisset, in-
 gemiscens ait. Nunc vsque de rebus cœlestibus
 loquebamur, & omnium vestrum oculi le-
 thali dormitione deprimebantur, at cum o-
 tiosa fabula intromissa est, omnes expergesca-
 sti torporem somni dominantis excussimus.
 Vel ex hoc ergo perpēdite, quisnam collationis
 illius spiritualis fuerit impugnator. Hæc il-
 le. Ut verò intelligatur è contrario,
 quam Deo gratum sit præbere aures
 spiritualibus colloquijs, idem sanctus à
 Deo gratiam postulauit, ne vnquam
 vanis & inutilibus collationibus in-
 teresset, ac impetrauit. Nam quocun-
 que deinceps eum venire contigit,
 semper habiti sunt sermones, de re-
 bus pijs cum diuina voluntate con-
 gruētibus, si autem aliquando de va-
 nis haberentur, mox obrepebat ei som-
 nus, vt audire non posset. Quocirca
 meritò hic diligentissimi esse debemus
 in repellendis diaboli conatibus, va-
 na & infructuosa colloquia declinare,
 & à Deo toto pectore donum exposce-
 re tantum loquendi de rebus neces-
 sarijs, & quæ proximum ædificent,
 & au-

& audiendi ea, quæ nobis commode & adiuuamento esse possint. Neque ideo culpandi sunt, qui iusta aliqua de causa uaniora quædam audire cogantur, vel ab hominibus grauibus, & magnæ dignitatis, quos non queunt cohibere, vel ab alijs, quorum opera indigent ad res necessarias uilesue procurandas, nam si finis bonus propositus nobis sit in huiusmodi, noxa quoque omnis abesse potest.

Alia auditus inordinatio est, oblectari cantilenis uanis & leuibus, musicaque harmonia ob solam voluptatem aurium, quæ res non modo otiosa, sed etiam noxia est, nisi suum locum habeat mortificatio. Nam, teste S. Basilio, uocis suauitas gignit in mente cogitationes cupiditatesque lasciuas: quod uerissimum est, quando cantiones sunt leues & seculares, ac tales, quæ à fornicarijs haberi soleant. Quando autem sunt piæ, & ad deuotionem prouocandam idoneæ, aliosque sanctos compunctionis, & in Deum amoris motus, tum cum magna laude audiuntur. Quamuis maioris meriti sit, quando animus noster ad se excitandum tali adiuuamento non eget, suauitate cantus propter Deum se priuare: Quod si in melodia
musi-

*Lib. de uera
uirgin.*

musica, motetisq; , vt vocant, licet sanctis & religiosis poti⁹ oblectatio, quam spiritualis profectus, qui ex argumento decantato decerpi potest, quærat, aut ad audienda illa non rationis iudicio, sed sola inclinatione naturali trahamur, tum inordinatio est in auditu, quæ mortificanda est, aut aures obturando concentui, aut intentionem mutando, vt non iam solus suauitatis & voluptatis sensus, sed vtilitas aliqua præ oculis habeatur. Ita docuit S. Augustinus in Confessionum libris, vbi *Lib. 10. c. 32.* declarans, quantam vtilitatem afferat in Ecclesia institutum cantadi, & quod ad lachrymas sæpè commotus sit, confiteretur se aliquando suauitate concentus potius, quam rebus cætatis, captum fuisse. *Cum, inquit, mihi accidit, vt me amplius cantus, quam res, quæ canitur, moueat, pœnaliter me peccasse confiteor, & tunc mallet non audire cantantem. Ecce vbi sum. Flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis, vnde facta procedunt. Tu autem Domine Deus meus exaudi, respice & vide, & miserere, & fac na me.*